

salute nostra de nostre benignitatis munificentia confirmantes in perpetuum tibi et successoribus tuis atque monasterio tuo sancti Ioannis de Flore omnes possessiones, donationes et libertates seu etiam confirmationes, que facte sunt abbati Ioachim quondam predecessori tuo et eidem monasterio sancti Ioannis de Flore a domino Henrico gloriosissimo Romanorum imperatore semper augusto et rege Sicilie et a domina Constantia serenissima Romanorum imperatrice et regina Sicilie divis quondam parentibus nostris. Concedimus, donamus et confirmamus tibi tuisque successoribus et iamdicto monasterio tuo de Flore terras laboratorias, aquas et sylvas adiacentes eidem monasterio a vado fluminis Neti, quod est subtus castellum de Sclavis, sicut vadit via ipsa versus meridiem per petram Caroli Magni et per Serraricum usque ad vadum Sabuti et ab ipso vado versus ortum ipsius fluminis usque ad alveum Ampulini et descendit idem fluvius usque ad eum locum, ubi miscetur flumini Neto, et ascendit terminus per alveum eiusdem fluminis Neti et vadit ultra flumen per fines monasterii sanctorum Trium Puerorum et monasterii abbatis Marci usque ad viam, que venit a civitate Acherentee, et vadit per portium, que videlicet via manet in confinio a parte aquilonis, usque ad locum, qui dicitur Frassinitum, et exinde revertitur terminus ad alveum fluminis Neti et ascendit idem alveus usque ad vadum, quod est subtus castellum de Sclavis, et concludit in priori fine. Concedimus preterea, donamus et confirmamus tibi et iamdicto monasterio tuo de Flore tenimentum nostrum Fluze situm in maritima Calabriae et libera pascua ovium et^{a)} mandrarum prenominati monasterii Floris aliorum quorumlibet animalium, que illuc mittere libet, prohibentes, ut nemo vobis in ... tenimento aliquam molestiam inferat aut ibi sua vel aliorum hominum animalia super inducat seu aliquo modo laborantibus seu pastoribus et animalibus, que sub cum^{a)} illorum ibi damnum vel iniuriam facere presumat. Concedimus quoque et confirmamus tibi et monasterio tuo tenimentum Canalis et tenimentum Bottuli et quecumque alia in tenimento Cusentie iustis emptionibus velibus possidetis, et domos et casalina, que habetis in eadem civitate, terras quoque cultas et incultas et vineas, quas habetis in tenimento Acherentee in loco, qui dicitur Albe, prope Casale, quod dici[tur de] Berdo. Insuper concedimus tibi et sepedicto monasterio Floris per totam Calabriam libera pascua pro animalibus ecclesie [ab]sque herbatico et glandatico permittentes, ut liceat fratribus et hominibus m[ona-